



V 2 H 2 G




1 6 0 7

Ag 80352
















93  
Orationes duæ

*In quibus disceptatur*

DE

VITÆ ACTIVÆ  
ET CONTEMPLA-  
tivæ præstantia

*prior*

I. O H A N N I S I D E N I I  
Brandenburgensis Marchici pro  
vita activa

*posterior*

M A T T H I A E G V R T L E R I  
Novoforensis Silesij pro vita con-  
templativa

*Habita Francofurti Marchionum in  
Collegio privato*

M. CALEBI TRYGOPHORI,  
professoris Logici



Typis Friderici Hartmanni

Bibliopolæ

*[Francofurti]*  
ANNO M. D. XCVII.

CLARISSIMO

& doctissimo viro

D. M. CALEBO TRY,

GOPHORO,

*Logices Professori dignissimo*

Præceptori suo dilectissimo,

*Hanc oratiunculam strenue loco  
offere*

Iohannes Idenius,

*Amplissimo, & Prudentis-  
simo viro, pietate, eruditione, &  
virtute præstantiss.*

D. FRANCISCO  
PFORTNERO,

Inclytæ Reipub. Novoforensis,  
Senatori primario,

*Mecanati suo, & ad sacrum baptisma  
fideiussori patris loco honorando,  
ora: unculam suam consecrat*

Matthias Gürtlerus,

# Oratio prima.



**S**i vereor, juvenes nobilissimi, doctissimi, humanissimi, ne ad audentium projectus ego existimer, qui & eius loci auctoritatem contigerim, in quem nihil nisi perfectum ingenio, elaboratum industria afferendum videtur, & de re quam suscepi neque satis commodè dicere, neque satis graviter disserere, neque satis liberè decernere me posse intelligam, siquidem commoditati ingenium, gravitati aetas, libertati tempora & iudiciorum varietas sunt impedimento: Resicit me tamen ac recreat vestra integritas atque humanitas, qua fretus plus oneris sustuli, quam ferre me posse arbitror: quod si vos aliqua ex parte allevabitis, & veniam mihi à vobis tribui concedique ego sentiam: perficiam profectò ut non modò vitam, quæ in actionibus consistit contemplationi longè excellere, sed eam ipsam inanè mentis agitationem

¶ 2

quæ

quam praeclarorum operum umbram me-  
ritò appellamus, virorum praestantissi-  
morum sententijs ex hominum societate  
tampridem esse explosam deprehendatis.  
Nam cum omnis humana vita felicitas in  
prudencia, quae ex actionibus proficisci-  
tur, posita sit, in eaq; nobilissimi philoso-  
phi, longe q; principes & quidem homines  
severi & graves, ad claritatem amplitu-  
dinemq; ad Rempub. deniq; & ad ma-  
gnas res gerendas, se accommodaverint:  
quam laudem atq; commendationem hac  
vita mereatur, ab omnibus ut facile conij-  
ctio, liquidò conspicitur. Itaq; non est quod  
haec gloria ingenium requirat, aut oratoris  
eloquentiam magnoperè desideret. Nihil  
enim in tota rerum natura existit quod  
non ad amplissimas res obeundas clarita-  
temq; actionum excusetur: ut non imme-  
ritò in Epicurum invebatur Cicero, qui  
Deos omni procuratione atq; actione pri-  
vat. Deus, inquit, est qui viget, qui sentit,  
qui meminit, qui providet, qui tam regit  
& moderatur id corpus cui est propositus,  
quam hunc mundum princeps ille intue-  
tur.

tar. Quod autem de hoc, idem de rebus  
divinis omnibus licet affirmare: cum  
Theologia speculativa sine practica, non sit  
vera, sed tantum hypocrita, ut non minus  
verè quam eleganter pronuntiat Ambros  
sius. Quin & eam ipsam partem animi  
qua sensum habet, non esse ab actione cor  
poris seungendam, eruditè idem asserit  
Tullius: quod cognitio contemplatioq; na  
tura manca quodammodo atq; inchoata sit,  
si nulla actio rerum consequatur. Quod ut  
planius exponam, altius paulò repetam ne  
cesse est: enimverò circumspectis rebus  
omnibus vita activa mihi videtur mater  
atque nutrix virtutum omnium, quod sine  
illa, neque temperantem neque prudent  
tem neq; fortem ullum quisquam viderit,  
qua sola mediocritatem illam servat, quæ  
est inter nimium & parum, sola altissimis  
defixa radicibus nulla unquam vi labefa  
ctari potest: qua cum adest nescio quid di  
vinum existere in rebus hominum solet.  
Exuscitat enim hominum animas, & ma  
iores ad res gerendas facit: actum deo  
rum virtus ius suam obtinet, cum non est

A 3 quies

quiesca: quandoquidem, ut cum oratore  
loquar, optimi cuiusque animum noctes &  
dies gloria stimulis concitat atque admo-  
net, non cum vita tempore esse dimittenda  
commemorationem nominis no-  
stri, sed cum omni posteritate adquan-  
dam: in ea autem persequenda omnes  
cruciatu corporis, omnia pericula mortis  
atque laborum parvi esse ducenda. Unde  
videmus excellenti ingenio homines, in  
quot & quantas temporum dimicationes,  
atque in quotidianos rerum impetus se  
conijciant, ut industria obsequantur sti-  
mulis, & naturam ad praeclaras actiones  
vocantem audiant. Quam multos vide-  
mus fulgere in aulis, qui regendi impe-  
rii curis vigilisque anguntur? quam mul-  
tos volitare in foro? quos stare ad curia-  
am & quos in senatum venire & quam  
multos acerrimis audimus praeliis exerce-  
ri, ut saepenumero de vita ipsa dimicent &  
quam multos venalitios, maria transvo-  
lare comperimus, qui in vita periculis  
quotidie versantur & quam multos dome-  
sticis laboribus frangi & defatigari cer-  
nimus &

nimus? nulla omnino vitæ pars neq; pu-  
blicis, neq; privatis, neq; forensibus, neque  
domesticis in reb. carere actionib. potest:  
sine quib. si quis vel secū prestare magnū  
aliquid, vel contrahere cum altero cogi-  
tet, amens sit. Neq; verò hoc dissimulan-  
dum est, quod obscurari non potest, sed  
præ nobis ferendum, trahimur omnes stu-  
dio negotiorum, & ij ipsi philosphi in  
istis libellis, quos de laudibus vitæ contem-  
platricis scribunt, & in eo ipso in quo cogi-  
tationes et speculationes suas exercent,  
non sine gravissimis laboribus prestare  
id potuerunt: unde meritò ille exclam-  
mat: Non in otio sed in maximo negotio  
vivimus. Et ut maximè scripta quedam  
admiranda huiusmodi viri post se reli-  
querint, iam pridem tamen magna eo-  
rum pars refrixit, quippe qua subtilitati-  
bus ac spinis referta, parum apta essent  
humanis usibus. Nam si homines o-  
tium à negotio avocaret, si voluptas  
abstraheret, si somnus retardaret: quis  
ad sacras res obeundas, quis ad festos

A 4 dies

dies Deorum celebrandos accederet? quis  
urbes, quis imperia ex belli faucibus penè  
eriperet atque conservaret? quis cal-  
umnias, quis cades componeret? Quam  
multas nobis imagines non solum ad in-  
tuendum verum ad imitandum for-  
tissimorum virorum facta expressas, au-  
tores Graeci & Latini reliquerunt, quos  
in administranda Repub. nobis propone-  
remus, animum ad ipsorum exempla con-  
formaremus. Ex hoc est numero, quem  
antiquitas nobis suppeditat excellentis-  
simum hominem Cato ille senex, qui  
profectò industria sua cum iam sextum  
& octogesimum annum ageret, omnia  
membra corporis salva continuit, & ac-  
tionibus suis effecit, ut neq; memoriam  
ex parte aliqua tardiozem, nec infir-  
mitatem lateris paulò concussam, nec os  
denique hesitatione impeditum ani-  
ma adverterit. Ex hoc numero est,  
divinus orator Demosthenes, qui con-  
tra rerum naturam praeliatus victor es-  
vasit, dum malignitatem eius pertina-  
cissimo animi robore superavit, atque ita  
alte.



alterum Demosthenem mater, alterum  
industria procreavit. Ex horum nume-  
ro est fortissimus Annibal, cui pluri-  
mum animi ad pericula capeffenda,  
plurimum consilij inter ipsa pericula ea-  
rat, cuius nullo labore aut corpus fatiga-  
ri, aut animus vinci poterat, qui profes-  
to si laboribus suis & industria tantum  
nature habitum non comparasset, tot he-  
roica facinora nunquam perpetrasset.  
Quod si ex hac vita hic fructus tantum  
peteretur: tamen ut opinor eam utilis-  
simam, praestantissimamq; iudicaretis. Si  
quis enim maiorem vitæ commoditatem  
putat ex speculationibus percipi, quam  
ex actionibus vehementer errat: pro-  
pterea quod studia hæc ab omnibus planè  
gentibus exercentur: contemplatio verò  
suis finibus exiguis sanè & per angustis  
continetur. Tum ipsi, qui tranquil-  
litatem ut aiunt expetentes, à negocijs  
publicis se removerunt, ad otiumq; pro-  
fugerunt, quoniam nec populi nec prin-  
cipum mores ferre poterunt, & latebris  
se penitus abdiderunt, quid inquam effi-

A 5 ciant

ciunt? Quando vitam humanis actio-  
nibus eripiunt, & fuga quasi solitudiniq;  
se mandant, (ad quam amentiam illos non  
natura peperit, sed voluntas exercuit.)  
qua letitia perfruuntur? quibus gau-  
dijs exultant? quando neq; audiunt vi-  
rum bonum quenquam, neq; vident. Non  
enim in campum, non in forum, non in cu-  
riam, vix deniq; extra domesticos limi-  
tes expatiantur: Industria subsidia atq;  
instrumenta virtutis in inani illa con-  
templatione consumunt. Etsi autem pos-  
pulum subterfugisse videantur: tamen  
domesticum illis bellum manet, intus in-  
sidia sunt, intus inclusum periculum est,  
intus est hostis, quando modò cum luxu-  
ria, modò cum scelere concertant. Sed  
horum hominum species honestissima vi-  
detur, divini enim nominantur & di-  
vini vesci epulis dicuntur: cum re ipsa  
non nisi voluptuaria, delicata, mollis sit,  
vigilijs sudoribus & gravioris operis ac-  
muneris functionibus inimica. At enim  
plurimum studij in res abditas atq; dif-  
ficiles conferunt, & quidem posthabitis  
terrenis

terrenis cæli scrutantur plagas. Ridiculus est ea quæ habemus non exercere, querere ea quæ habere non possumus: & ea quæ depravari multis modis possunt desiderare, industriam autem quam virtutis indagatricem cognovimus, & certas vivendi vias repudiare. Ut enim inepti sunt qui in statuis dijudicandis, unum aliquod membrum, unam lineam intuentur, cetera oculis prætereunt: ita in hoc vitæ curriculo exigui consilii videntur, qui unam aliquam eius partem tantum sequuntur, in eam quæ potissima est nunquam descendunt. Et ut Apelles quondam Veneris caput & summam pectoris politissimæ arte perfecit, reliquam partem corporis inchoatam reliquit, ita hi homines vestibulum vitæ, quod in contemplatione consistit, tantum elaborant, reliquam corporis partem, quæ studia industriamq; complectitur, imperfectam ac rudem relinquunt. Hanc ego non despiciam, non detester, non omni ratione reiciendam putem? Sed celebratur si diis placet, præclara  
alla

illa Platonis sententia, beatas tum de-  
mum fore Respublicas, si aut imperent  
philosophi, aut imperatores philosophia  
am exequantur. Immo verò, si consules  
historicos reperies nihil perniciosius ni-  
hil pestilentius principi, hominumq; sa-  
luti & imperio posse contingere, quam  
ipso istos philosophos, ipsasq; contem-  
plandi scientias. Cui rei satis opinor  
faciunt fidem, isti Catones, quorum alter  
insanis dilationibus Reipublica tranquil-  
litatem vexavit, alter libertatem po-  
puli Romani dum ex specula sua iudica-  
vit, eamq; nimium sapienter vindicavit,  
penitus subvertit. Adde his Brutos,  
Cassios, Gracchos, qui dum nubes, &  
Ideas contemplantur, dum pulicis pedes  
metiuntur, dum culicum voces admiran-  
tur, quae ad communem vitae consuetudi-  
nem attinent, non didicerunt: Quid  
igitur est, quod hasce contemplationes  
tantis praconijs evehat, cum pleraq; sint  
ad omnem vitae usum inutiles. Quod  
vel Socrates ipse unus Apollinis oraculo  
sapiens iudicatus, nos edocet, qui aliquan-  
do

do conatus aliquid publicè agere, summo  
cum omnium risu discessit. Sed adest  
praeptori de capite periclitanti disci-  
pulus Plato, egregius scilicet patronus  
nescio enim quo turba strepitu offensus  
vix dimidiatam pronunciare periodum  
potuit. Isocrates propter ingenij timidi-  
tatem ne hiscere quidem est ausus. Quid  
isti facient, cum ferro res geritur, qui  
tum metu examinantur, cum nudis ver-  
bis decertandum. Sed utcumq; ferens  
dum hoc fu erat, si tantum ad publica  
munera forent idonei: iam ὄνοι πρὸς λόγων  
Ad convivium adhibe sapientem: aut  
tristi silentio aut molestis questiunculis id  
obturbabit. Ad chorum advoca: came-  
lum saltare dices: ad publicos ludos tra-  
he, è theatro migrare cogetur sapiens  
ille Cato, quandoquidem supercilium po-  
nere non potest, usque adeo neque sibi ne-  
que patriæ neque suis usquam usui, aut e-  
molumento esse possunt. Qua quidem  
ex re odium quoq; consequantur necesse  
est: nimirum ob tantam vitæ inertiam  
atque ignaviam. Quæ cum ita sint,  
juvenes

iuvenes nobilissimi, adolescentes iucunda  
dissimi, nos illam inanem contemplatio-  
nem quam neq; societas delectat, neq; dia-  
es intuetur, studio atq; industria praefer-  
remus? Hoc verò quis ferre possit inertes  
homines fortissimis viris praeferri, in ex-  
ercitatos prudentissimis, dormientes via-  
gilantibus. Cum praesertim, velint nolint,  
hoc mihi largiantur necesse est, Theoriae  
patroni, in vita civili non habere locum  
contemplationem, quae consistit in cogni-  
tione veri, cum vita civilis spectet e-  
iusmodi virtutes à quibus homines deno-  
minantur boni, non à quibus veri: nec  
ulla res consideratione tam digna sit, cui-  
us non tractatio postponenda sit officii  
iusticiae, & abiicienda, si periculum  
discrimenq; patriae, parentum, amicorum  
subitò allatum possit averti, nisi fortè  
sceleris damnari quis à Ciceroe malit.  
Quando igitur & ipse Aristoteles veri-  
tate convictus politicam architectricem  
ac Dominam facit scientiarum omnium?  
& optimo quisq; splendidissimoq; ingenio  
longe illam vitam huic anteponit: ve-  
strum

strum quoque est iuvenes lectissimi, otiosum illud & odiosum vitæ genus fugere: se qui id magis est, secundum naturam, quæ iubet pro omnibus gentibus conservandis, aut iuvandis maximos labores molestiasque suscipere, ac primas tribuit ei, qui quamplurimis utilis est, vel si fieri possit cunctis, ut Naso vult: Totique salutifer orbi.

D I X I.



# Oratio secunda PRO VITA CON- templativa.

**D**ivine clarè ac sapienter, vir  
clarissime, praeceptor u-  
nicè colende, iuvenes ge-  
nere, doctrina, & hone-  
sti observantia nobiles,  
praclarè inquam, ac sa-  
pienter Philosophus ait: Interiectum quo-  
dammodo, & inter mediū esse hominum  
genus inter animantia ratione omni de-  
stituta: & inter purissimas illas mētes ab  
omni corporis societate secretas. Vt .n. illa  
carent adminiculis omnibus quibus natu-  
ram ad sui Creatoris similitudinem ex-  
tollant: Sic ex his, cum in se sint perfe-  
ctissimæ, sine rei alterius interventu, di-  
vina quaedam relucet imago. Hominis  
verò ea est conditio, ut in his quidem ter-  
ris sit constitutus: emulando autem vi-  
tam divinam, in caelum evolare possit,  
ut per varios gradus magis & minus  
sublimes



sublimes variis quasi pennis decarren-  
dis gradibus correspondentibus instru-  
ctus, Deo similimus illic reddatur. Et si  
enim natus, ut corpore, sic quoque animo  
nascatur homo; naturali tamen propen-  
sione diuinitus ornatus est ad captien-  
das istas pennas, quae nihil aliud sunt,  
quam virtutes; quae quo fuerint emi-  
nentiores, eò ad sublimiora nos ducunt,  
diuinamque naturam nos participes faciunt.  
Ita enim naturam comparatum est, ut  
virtutes per varios gradus ad primum  
principium ascendant, nosque secum ele-  
uent: nec requiescant quousque cum soci-  
etate diuinarum mentium nos coniunxe-  
rint. Causam forte desideratis? in  
promptu est. Nam cum Deus T. O. M.  
omnium virtutum sit unicus author: ad  
ipsum tanquam parentem suum tenden-  
tes, ut in eo requiescant, cui omnem su-  
am perfectionem acceptam ferunt, ho-  
minem simul eleuant, ac in domicilium  
caeleste collocant. Ista autem virtutes  
cum non sint eiusdem generis, sed alia  
aliis eminentiores: per certos quasi  
B gradus

gradus distinguuntur; qui quo sunt subli-  
miores, cō magis hominem attollunt,  
atq; cum natura diuina copulant. Pri-  
mus autem gradus naturalis nomine  
venit, ac reddit homines formosos &  
sanos. Cui licet non multum ponderis  
insit in euehenda nostra natura, eaq;  
supra res humanas collocanda; ut potē  
qui non solum nobis ex parte cum brutis  
communis est, verum etiam improbis vi-  
ris sepē contingit: necessarius tamen  
est ad sternendam viam relinquens, quo-  
rum beneficio ex his terris migrantes  
in cœlestium societatem recipimur. Se-  
cundas sibi vendicat moralis: qui viros  
probos ciues & principes reddit. Quem  
ascendendo accipit proxime rationalis  
per sapientiam non obscuram Dei simi-  
litudinem in nobis exprimens. Sublimis  
us nos tollit heroicus. Vltimam autem  
perfectionem largitur nobis, qui diuinus  
dici meretur, que mortalitatem nostram  
quo ad illa patitur, diuine nature arētis-  
sima colligatio deuincit. Hunc verò non  
ne multis parasangis superiorem moral-  
egradu statuemus? negauit qui modò  
dixit

dixit : affirmabo ego : infregit ille : ego  
contendam acerrimè : enervavit ille ;  
firmisimis ego tuebor machinis, Laconis  
ca quidem breuitate ; Vtinam verò Pe-  
ricula suavitate. Quod si igitur obis  
vel <sup>duo</sup> <sup>quibus</sup> <sup>equi</sup> <sup>uocantur</sup> Lucianam à me ex-  
pectatis ; agite vel iam tacuero : multo  
enim plura expectatis, quam ut vestra  
expectationi eventus respondere possit :  
Sin autem qualescunq; uocum & doctri-  
nae cupedias esuritis, epulis queso pasci-  
mini quas attentis uestris & audis ap-  
parari auribus : atq; ita iisdem pascimi-  
ni, ut & dicendi molestia, & contem-  
dendi cum diuersa opinione labor, &  
uestri intuitus horror, aura iterum les-  
nitatis & facilitatis uestra adiuuetur.  
Tantum abest Auditores lectissimi ut  
virtutes mentis umbram praeclarorum  
operum asserere, vel omnis eas laudis  
priuare ausim : ut, si eas lumen ciuita-  
tum summum, si non eas à quibus laus  
promanet, sed quae ipsa laus sint uocis  
tarem, nescio num nominum amplitu-  
tudo uirtutum mentis amplitudinae  
ui & dignitati aliqua ex parte

satisfacere vel possit vel debeat. Si enim ad mentis opera omnia rectè facta remanent dirigunt suum, quod ne mentis quidem impositum, sensuum iudicio convictus facile negauerit: non potest non firmissime stare, utroque etiam virtutes actiuas virtutibus mentis contemplatiuis cessuras: tantum abest, ut umbram eas rectè factorum quispiam somniet. Prodi Appelles; de te pronunciauit, extra omnem ingenii aleam positus Cicero, nullum pictorem esse inventum qui Veneris eam partem quam tu inchoatam reliquisses (eò quod oris pulchritudo reliqui corporis imitandi spem auferret) absolueret. Tuane igitur vivis depicta coloribus Venus praeclarum erat opus & laudabile? certè laudabile. At itane laudabile, ut pulchritudine operis, mentis euanesceret virtus? Si illi tibi optime agere videntur, qui nulla cum intelligentia & sapientia agunt, id affirmabitur: Si vero, qui ita ad  
intelo

intelligentia stateram facta sua reuo-  
cant, ut aurifabri ad lydium lapidem  
auri explorant bonitatem, optimè age-  
re videntur: manifestum est, audito-  
res, tantò minus mihi de mea fulcien-  
da sententia laborandum, quantò id  
cuiq; vestrum est, quod volo, planius.  
Hominem sapientes eò olim pratule-  
runt bruto, quod in illo esset intelle-  
ctus, quo bruta destituerentur: quod si  
virtutes actiuae, praè contemplatiuis,  
quae intellectus propriè sunt, cupiam  
fortè arripent; quaso me intrepidè di-  
cere patiatur, aut hominem eum non  
esse hominem, qui ea quae hominis pro-  
priè sunt in densissimo atq; latissimo  
ipsis nimirum etiam brutis conuenien-  
te actionum vepreto, recondita gerit:  
aut potestatem mihi faciat vanitatis  
arguendi homines sapientissimos, qui  
ne quidem hominis & bruti analogiam  
admisserunt ullam, ne dum ut paria ea  
esse permittere cupiam potuerint. V-  
nica periodo complectar omnia, si vir-

antes actius majestatis sua fascies &  
vexilla virtutibus mentis subministra-  
re & submittere negatis, araneum ego  
textori etiam solertissimo pretulero,  
Lyncem optico oculatissimo, Sirenes Mus-  
sico suavisimo: atq; ut breuiter dicam:  
tantò aberunt à brutis homines etiam  
solertissimi longius, quantò se audentia  
us ab ysdem vinci pleno ore clamant ac  
testantur omnes. Sed veluti ij, qui toti  
in rerum mathematicarum cura ac stu-  
dio versantur, contentiosos homines ad  
suas àncunt ἀποδείξεις, ut ijs rebus quibus  
mens subscribere noluit oculi tandem  
subscribant: Ita nos hominem, qui ho-  
minem propè non hominem, sed bruto  
quouis inferiorem facit, ad hominem  
tandem ducere conabimur, & quàm  
poterimus sagacissimè odorabimur, an  
intellectum animi primam & optimam  
potentiam esse concedat. Si concedit,  
omnes iam amputat & decidit contra-  
dictionum fibras, & id ipsum concedit  
quod volumus: Sin minus: aut quaso  
conuellat axioma Platonicum, adiun-  
ctam esse intellectui voluntatem tan-  
quam

quam satellitem domesticum, qui ratio-  
ni obtemperet: aut intellectum à vol-  
luntate non voluntatem ab intellectu  
regi paulò forte absurdus asserat. Ita  
enim & ad priora relabatur, adhuc sci-  
licet bruta præstare hominibus: & mi-  
rum fuerit si non manes & cineres sa-  
pientissimorum hominum absurdã hanc  
compescant sententiam. Cælum enim  
fortè suos intueri antagonistas iussè-  
rint, contemplari iusserint, primum &  
nobilissimum ens contemplari iusserint:  
contemplari inquam, quomodo & non ocu-  
lis sed cogitatione, non cogitatione qua-  
licunq;, sed qua argutis rerum cogitare  
darum Phaleris sit redimita. Vnde illa  
argutarum contemplationum Phalera  
quibus Deum ceu coram visibilibus præ-  
sentem intuentur & aut virtutum men-  
tis id sit beneficio: aut statuere omnino  
oportet, in intellectu virtutibus volun-  
tatem quoq; versari posse. Quod si igi-  
tur à mentis virtutibus dependet Kro-  
bium salus: Si mente omnia recte facta  
veluti trutina examinantur: Si homines

virtutibus mentis à brutis maximè  
differunt: Si deniq; non solum primas  
sibi vendicant inter potentias animæ,  
verum sola hæ nobilissimam & primum  
ens Deum Opt. Maxi. cogitationum  
ecce apprehendunt: tantò me minutio-  
rem decebit proferre probationum  
farraginem, quantò hæc minus morum  
virtutibus convenire posse omnes fa-  
tentur. Urbem enim actionibus bonis  
fulciri arbitramini? eatenus id verum  
est, quatenus à virtutibus mentis illas  
virtutes promanasse constat. Actio-  
bus bonis hominem à brutis differre  
statuitis? nunquam mediufidius tan-  
ta materie commeditate, operis facili-  
tate, rei fabrefactæ subtilitate, aqua-  
bunt hominum opera brutorum etiam  
vilissimorum structuras artificiosissi-  
mas. Ite igitur ô vere Phrygia (neq;  
enim Phryges) ite per alta Dyndima,  
ubi assuetis biforem dat tibia cantum:  
ite, inquam, & quàm agilia ad choreas  
vobis sint membra mulierculis ostendite:



dite: in conuiujs lingua volubili ac  
dicacula frenum laxate: actionibus le-  
uissimis vos praebeate spectatores atten-  
tissimos; doctores hac in re ductoresq;  
habebitis meretriculas, scurras & fes-  
cem istam populi, quae voluptate inani  
vnicè delectatur: graviores medita-  
tiones ac res serias iis relinquite, quos  
ad maiora DEVS ac natura sinxerunt.  
At primas sibi vendicant actiones; Se-  
cundas cogitationes: & virtutibus  
morum non mentis DEVS apprehen-  
ditur. illud facile concessero, modò nau-  
tam à nauì, non contra nauem à nauita  
regi paulò fortè liberius asseratur. Hoc  
verò nunquam dederò, ut ea quae men-  
ti competunt, moribus, quae sagacitati,  
inertia, quae suauissimo rerum iucun-  
darum myrothecio, caco illi cacarum  
actionum plausiro, quae tandem, ut ita  
dicam, ipsi diuinitati, vilissimis actio-  
nibus attribuantur. Adhuc igitur ve-  
rè exclamasti diuine Plato, eas saltem  
beatas Respub. fore quas vel mente sa-  
pientes

piantes regerent, vel qui regerent, ea  
vane suum studium in doctrina ac sapi-  
entia collocassent. Quid? quod mentis  
perfecta illa soboles contemplatio absq[ue]  
subsidio rerum caducarum quae sua sunt  
perficit: actio verò, quae ex impotentia  
ortum duxit, sicut perturbationibus lon-  
gè plurimis obnoxia est; ita, ut officiū  
suum peragat, modò his modò illis india-  
get? Subtrahere liberali pecuniam, libera-  
lis esse non poterit: adime viro prudenti  
ac iusto magistratum, clientelas, opes &  
omnis prudentia ac iusticia peribit glor-  
ria. Mentem concede contemplatori &  
omnia concesseris, nec vlla operandi de-  
erit occasio: Sed seipso contentus imi-  
tabitur sacrosanctum Numen, quod quis-  
dem secundum virtutes morales agere  
dici non debet, semper autem seipsum,  
& in se omnia contemplatur: ut non  
immeritò Seneca tantum inter duas il-  
las Philosophia partes interesse dixerit,  
quantum inter Deum & hominem. Itaq[ue]  
etiam negotiosi illi practici saepè defa-  
tigant

ziganur: theoreticos verò nulla unquam  
rerum suarum capit satietas, sed quo co-  
gitatione provehantur altius, cò per-  
gunt alacrius & vehementius. Vultis  
probern? Si Sapiencia mentis nihil aliud  
est quam radius diuini numinis huma-  
na menti communicatus, ecce ipsissima  
mibi applaudit veritas: Si non vnus  
tantum Philosophi sed tot ferè eorun-  
dem calculis quot in hoc mundo sunt ho-  
mines rectè sentientes approbatum est,  
in vita theorica non desides nos & otio-  
sos esse debere, sed virtutibus mentis  
conspicuos alios nobis consilio & sapien-  
tia, alios arte scientia & intelligentia  
iuuandos esse: Ecce assentitur mihi ho-  
minum rectè iudicantium hac in parte  
vnanimitas: Si & diuinos nos reddunt  
virtutes mentis, & à sapientibus nobis  
tanoperè commendate sunt, maior est  
vita contemplatiua utilitas, maior di-  
gnitas, maior suauitas quàm vt eandè  
ratione vel vnica euenire me porro  
oporteat. Itaq; vt priora duo in  
postea

posterum tegam silentio; suavitatem  
vitae contemplatiuae vel vnus satis su-  
perq; attestatur Syracusanus Archime-  
des, caelestium orbium non perscrutator  
tantum sed etiam imitator acerr-  
mus. Is enim earum rerum quas natura  
fert pra ea quam capiebat è studiis ob-  
lectatione non solum memor non erat  
sed in illa ipsa Syracusanae Urbis direc-  
ptione ita studio defixus erat, vt prius  
hostilis gladij cuspidem corpore excepe-  
rit, quam Urbem in hostium potestatem  
deuenisse sentiret. O rem omnium se-  
culorum admiratione dignissimam! Di-  
vipiebatur Vrbs ea tempestate omnium  
opulentissima, effusi per vias milites,  
vt in quemq; inciderant, sine vlllo sexus,  
aetatis, ordinis, discrimine obuios con-  
trucidabant: Vndiq; gladiatorum fulgur  
praestringebat oculos, vndiq; armorum  
sonitus, vndiq; cadentium tectorum  
fragor audiebatur, puerorum eiulatis  
bus, mulierum lamentis, morientium  
gemitibus, militum clamoribus, priuac

ta

ta publicaq; omnia circumsonabant:  
Ipsa Vrbs penè dimota & conuulsa se-  
dibus suorum ciuium in cade & sangui-  
ne natabat: cum vnus hominis mens  
in media ciuitate ciuitatis ipsius casum  
ac ruinam non sentiret. Nisi igitur ins-  
credibilis quedam cogitationum esset  
suauitas, ineffabilis contemplationum  
grauitas, diuina vitæ contemplatiua  
dignitas: nunquam eam crediderim  
solertissimorum hominum tantoperè tra-  
tuisse oculos, demulsisse animum, pa-  
nisse mentem. Nihil de Gracis dicam,  
quibus quid profuisset cubi & quadran-  
guli discretio, cum Dæmona illum Del-  
phicum de malorum consultarent peri-  
odo vel vnus ille Plato abundè nouit:  
hoc saltem dixerò si virtutes contem-  
platiuas virtutibus moralibus prapo-  
nendas vobis existimaueritis, prala-  
tum à vobis iri lucem umbra, hominem  
bruto, rectorem rei gerenda, delecta-  
tionem molestis, utilitatem in commo-  
dis. Reliquum est vt cum ijs, quæ Ari-  
stotelis

Stoelis ac Tully armis munita, & con-  
tra nos emissa sunt, congregiamur;  
quæ tamen adeo robusta non sunt, ut  
non veritate conspecta vel concidant,  
vel etiam pro nobis ipsa decertent. Po-  
liticam Philosophus constituit dominam  
scientiarum omnium: & Prudentiæ bo-  
na disponenda, mala eradicanda com-  
mittit. Audio: & ut maximè prudens  
triam hic ad civiles actiones ablegare  
possim, quo sua se iactet in aula: dabo  
tamen ipsi hac vice imperium uniuers-  
sum; Sed ita dabo, ut, quemadmodum  
Ciuitas eligit consulem, penes quem sit  
rerum summa, sic ipsa eligat Sapienti-  
am, ad eamq; omnia dirigat, & consi-  
deret quenam illi sint necessaria, quis  
dignitatis gradus ei conueniat; atq;  
adeo pro sapientia imperet, sicut præfe-  
ctus pro domino: nec minus tamen hu-  
ius tanquam regine, legitima ratione  
electa, imperio obtemperet, quam con-  
suli suo ciuitas. At scelestus sit, Cic-  
ero, si quis non contemplatione posthabita  
ta peo

ea periclitanti patria succurrat. Quasi  
vero hic de necessitate, non de dignitate  
sit contentio. Necessarii magis sunt  
homini fructus: at planta quae fructum  
sustinet, eminentior. Debetur certum  
tempus cibo ac potui: at quis est ille tam  
demens, qui inde colligat edendi ac bi-  
bendi actum contemplatione esse pra-  
stantiorem? Quid igitur obstat, quo-  
minus cum Marsilio contemplatio-  
nem ita praferamus actioni ut oculum  
manibus cruris pedibus, rationem sensibus,  
animam corpori, aeternitatem  
tempori. Longiorem orationem causa  
fortasse postulat: vestra vero attentio,  
meus decor, ne vel ere Dodoneo videar  
loquacior, vel verba haec in ore, non in  
pectore nasci videantur, breviorem.

Quare cum utilius arbitrer vos ipsos  
haec perpendere, quam me aut quenquam  
hac de re verba facere, finem iam faci-  
ciam; Si vos prius admonuero, tamen  
toto vos fore beatiores si virtutes  
contemplativas activis praetuleris-  
tis, quanto haec ab illis distant longi-

us: imò verò ( ut tandem aliquando  
scientiæ amicissima, verbis nostris di-  
stracta, denuo coniungantur ) tum de-  
num vos optimam & nobilissimam  
vitam acturos, si sapientiam quidem  
dignitate anteponatis prudentiæ, sed  
utramq; tamen possidere malstis, quàm  
solam alterutram: ne aut claudius for-  
mari Pluto videatur, aut Polyphemus  
monoculus, sed Hercules ille heroicus,  
qui partim apud superos, partim  
apud inferos refulgeat.

D I X I.



















84 2 177417

X 2208462

DM







B.I.G.

Farbkarte #13

43

# Orationes duæ

*In quibus disceptatur*

DE

## VITÆ ACTIVÆ ET CONTEMPLA- tivæ præstantia

*prior*

I O H A N N I S I D E N I I  
Brandenburgensis Marchici pro  
vita activa

*posterior*

M A T T H I A E G V R T L E R I  
Novoforensis Silesij pro vita con-  
templativa

*Habita Francofurti Marchionum in  
Collegio privato*

M. CALEBI TRYGOPHORI,  
professoris Logici



Typis Friderici Hartmanni

Bibliopolæ

*[Francofurti]*

ANNO M. D. XCVII.